



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Aliquos mirabiliter curat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

dio ita flagrantem animum. Mirè autem & sum-  
 mis, & infimis agendi, dicendiq; ratio probaba-  
 tur. Itaq; Senatus ipse Consule misso, rogauit vt in  
 Templo sancte Marię ad ripam, quod secundum  
 Episcopale Ciuitati commodissimum erat, con-  
 cionari placeret. Iam verò haud doctrina magis  
 & eloquētia quam viri sanctitas celebrari: ac no-  
 biles foeminae ad eius institutionem accurrere: &  
 idem passim ad ægrotos accersi, tum vt animis  
 tum vt corporibus diuina ope mederetur, præfer-  
 tim postquam cælestis medicinæ experimenta  
 conspici cœpta sunt. Duarum ego in literis Ener-  
 gumenarū curationem reperio: sed quia vereor  
 ne vna eademq; sit, quam posterior epistola sub-  
 tilius exequatur, vt integrū sit lectori iudicium,  
 ipsarum producam narrationem literarum. Pe-  
 trus ergo Schorichius literis extremo Augusto da-  
 tis anno 1552. cum de iis quos Canisius ad Christi  
 partem adduxerat retulisset, ita subiecit. Spero e-  
 quidem fore vt plures generet Christo hic Pater,  
 vbi Viennenses vitam ipsius, & mores inculpatif-  
 simos interius cognouerint. Accersitur etiam ad  
 infirmos nonnunquam, vt spiritualis Medicus  
 animæ quoq; sanando languori spiritualem me-  
 dici-

*Aliquos mi-  
 rabiliter  
 curat.*

dicinam proponat. Vocatus semel ad Dæmoniacam quandam mulierem, vt, si quid posset in expellendo ab ea Diabolo præstaret; licet iam extrema quæque multi alij tentassent, minimè tamen deterritus est: sed Christum assumens comitem fidenti animo illam accessit, & post colloquium non ita diuturnum persuasa ipsi, auditaque confessione, hoc profecit, vt non solum valetudinem ex diutina illa cum Diabolo conflictatione grauius afflictam, integram reciperet, vt domo post nonum quidem mensem statim ad templum nostrum egrederetur, ibiq; sanctissimo Christi corpori communicaret; verùm etiam vt à molesta maligni spiritus vexatione ad multos dies immunis esset. Quæ res summum gaudium toti illi familiæ peperit. Patri vero Canisio, quin etiam societati nostræ plurimam autoritatem conciliauit. Venit igitur diligenter ad conciones Patris Canisij mulier illa vna cum Marito, & Matre, quæ confessa quoque est eidem Patri Canisio, & communicauit in Ecclesia nostra; elegantemque puerum offert societati filium, ni fallor, suum, licet paulò iuniorem, quam qui possit admitti. Christo omnis boni primario autori sit omnis ho-

nor, & gloria in perpetuum. Martinus autem Sordianus literis anni insequentis initio Epiphani-  
 niorum ipso die scriptis talia refert. Ab afflictis, & desperatis Pater Canisius adiri iam cœpit, & accersiri, quod sparsus de eo rumor videatur, quod pacto quibusdã miserimis Christo fauente, subueniret. Ex quibus vna multo iam tempore decumbens, omnem suæ salutis spem amiserat: & neq; à Medicis curari, neq; à confessoribus consolationem accipere vnquam potuerat. Quare se Deo relictam aiebat, magnisq; signis comprobabat se correptam, & obsessam à Dæmone, vt non steretiam Medicus de illa iudicauit. Hinc in terram sæpe prosterni, & huc, illuc violenter nocte dieq; detrudi, abripique videbatur. Propalabatur peccata prioris vitæ peccata, propter que iuste se damnatam, atque Dæmoni traditam asseruerat. Quare cum Pater ad illam venisset (nihil enim confessoriorum curam illius habere iam volebat amplius) eò permouit primum miseriam, vt integrè peccata totius vitæ confiteretur: deinde tum orationibus, tum adiurationibus, & exorcismis sic vires Dæmonis illam corporaliter affligentis, repressit, vt iam domo libere exeat, & quo-

quotidie Dei templum visitet, atq; vti sana domi  
 suæ laboret, & singulis mensibus Eucharistiæ cō-  
 municet, magnamque totius vitæ mutationem  
 præferat. Quæ res nihil mirū si magnæ sit mul-  
 tis ædificationi, vnde plures etiam Matronæ nūc  
 veniant confessuræ. Hactenus literæ posteriores:  
 quæ certè illud testantur rumorem emanasse, nō  
 vni modo, sed quibusdā miserrimis illum Chri-  
 sto fauente, subuenisse.

Ceterū haud minoris (si recte existimetur) *Magnos pec-  
 catores con-  
 uertit.*  
 miraculi id fuit, carcere inclusorum obdurata in  
 sceleribus emollisse pectora. Ei nominatim mi-  
 seros illos solandi delegata prouincia erat. Ille au-  
 tē homines vix antea semel anno sacerdoti pec-  
 cata solitos enuntiare ad frequentem confessio-  
 nem adduxit: iisque, & aliis de plebe multis ipse  
 porrigebat aures: nec exiguum in vulgus com-  
 mendationem habuit, cum reorum vni, qui pro-  
 ductus ad vltimum supplicium est, recte prius in-  
 stituto priuatim, ac præmunito, hortator in pub-  
 lico & consolator vsq; ad exitum adfuit. Quæ e-  
 nim iam consuetudine viluerunt, integram tum  
 ex nouitate gratiam vulgo habebant. Denique  
 manante in dies latius fama, certabant inter se

Cæno-